

Quæstio III.

Quomodo aqua marina edulcorari queat?

§. 1.

Frequentes in utrumque Orbem navigationes de necessitate & utilitate hujus problematis testantur. Aliqui ergo per Distillationem, alii per Præcipitationem, alii vero per Filtrationem aquam dulcem à sale separare tentarunt. Ad ultimum hunc modum referri potest ille modus, qui describitur in Actis Philosophicis Anglicanis *an. 1665. die 4. Decembr. §. 6. in fine.* quando vas concavum cereum in mare demergitur, per quod sale exterius manente aquam dulcem penetrare dicunt.

§. 2. Per nostram quoque observationem mediante frigore edulcorationem aquæ salis institui posse credo. Quamvis autem hic modus nullum habeat usum in regionibus calidioribus, ubi frigus deficit, ea occasione tamen inveniri posset modus producendi frigus artificiale, cujus beneficio aqua marina potui apta reddi queat.

Quæstio IV.

Quid porro notandum sit?

§. 1.

Primum, quod observandum esse puto, erit non tantum gradus frigoris, sed etiam altitudo Atmosphære, quæ tempore experimenti obtinet. Ut autem constet, qualis tempore nostri tentaminis fuerit aëris constitutio, ex meis Observationibus aërometricis, per XVII. annos continuos annotatis, aliquot dies exhibeo.

§. 2. Prius tamen benevolus Lector monendus erit, Baroscopium meum in pollices Parisinos divisum esse, & ab unitate numerari gradus, quia in ipso graduum principio ponitur 1. cum tamen poni debuisset Ziphra sive 0. Hinc si in Observationibus reperitur 27. pollex cum 10. unciis, intelligi debet 26. pollex completus cum 10. unciis vel $\frac{10}{12}$ pollicis 27mi.

§. 3. Ratione Thermoscopii notandum, illud, quo ego usus sum, dividi in 100. gradus, graduumque quadrantes: quando ergo

B 3

li.